

terras de Leon et de Castella; et si aliquis mihi vel tibi obsistere voluerit, et injuriam nobis fecerit, guerram simul in eum vel unusquisque per se ineamus, usquequo terram illam mihi vel tibi pacifice dimittat, et postea tibi eam præbeam. Juro etiam si thesaurum Toleti prius te habuero, tertiam partem tibi dabo, et duas remanentes mihi servabo.

Fiduciam quam comes Raymundus fecit in manum domini Dalmati Geret:

A Si ego comes Raymundus non possum tibi comiti Henrico dare Toletum ut promisi, dabo tibi Gallæciam, tali pacto ut tu adjuves mihi acquirere totam terram de Leon et de Castella; et postquam inde dominus pacifice fuero, dabo tibi Gallæciam, ut postquam eam tibi dederò, dimittas mihi terras de Leon et de Castella. Igitur, Deo jubente, sic quoque sancta Dei Ecclesia piis orationibus interveniat, Amen.

STATUTA SANCTI HUGONIS

ABBATIS CLUNIACENSIS

Pro Alphonso rege Hispaniarum, tanquam insigni benefactore.

Omnibus fratribus ac filiis nostris in Cluniacensi cœnobio Domino in fide recta servientibus, tam præsentibus quam futuris, frater Hugo abbas, cœlestis regni præmia et æternæ felicitatis gaudia.

Convenit, dilectissimi, ut sicut nos Patrum nostrorum præcedentium instituta, etsi non ad plenum, tamen, prout possumus, fideliter observamus, ita etiam et vos ea quæ pro communi utilitate fieri decernimus, et devote suscipialis, et salubriter conservetis, quatenus et vobis meritum obedientiæ, et illis pro quibus talia præcipiuntur, præmium sempiternæ salutis accrescat.

Notum itaque sit fraternitati vestræ, præcepisse nos de domno Alphonso Hispaniarum rege, nostro fideli amico, qui tanta ac talia bona nobis fecit, et adhuc indesinenter facit, ut neminem regum vel principum sive præcis seu modernis temporibus, ei comparare possimus, quod scilicet in omnibus bonis quæ Domino largiente in nostro loco, vel in aliis nostro juri subditis acta fuerint, specialem habeat participationem tam in vita quam post mortem.

Præterea dedimus ei in vita sua unum psalmum, id est, *Exaudiat te Dominus*, ad horam tertiam sine intermissione canendum, et ad majorem missam unam collectam, id est, *Quæsumus, omnipotens Deus*, simili modo, quandiu vixerit. Decrevimus quoque ut in die Cœnæ Domini triginta pauperes pro eo mittantur ad mandatum. Et in die sancto Paschæ centum nihilominus pauperes a camerario pro eo reficiantur. Et super hæc omnia statuimus,

B ut præbendam quotidianam habeat in refectorio ad majorem mensam, quasi si nobiscum epulaturus sederet, quæ uni pauperum Christi semper tribuatur pro salute animæ ejus, tam in vita quam in morte.

Huic quoque mensuræ bonæ, confertæ, simul et coagitatæ superfluentiam addere cupientes, dedimus ei in ecclesia beatorum apostolorum Petri et Pauli nova, quam ipse de propriis facultatibus construxisse videtur, unum altare de præcipuis, quo scilicet divina mysteria ibidem celebrata saluti ejus valeant suffragari. Cum vero hujus temporalis vitæ cursum debito fine compleverit, exceptis officiis, missis, atque eleemosynis, quæ pro illo agenda sunt, uno anno in suprascripto altari missa specialiter quotidie pro illo canatur. Anniversaria vero dies ipsius ita per omnia agatur, sicut pro domno Henrico imperatore Augusto; ad vespertas scilicet, ad officium, et ad missam omnia signa tangantur, tractus in cappis canatur, eadem missa ad ejus altare decantetur, duodecim pauperes reficiantur, septem diebus justitia detur, excepta quotidiana præbenda, quæ in majori missa semper ponitur, abundans refectio a custode ecclesiæ fratribus præparetur. In his autem omnibus quæ de illo vel pro illo agi decrevimus, in his, inquam, omnibus et reginam ejus conjugem devotissimam fieri volumus participem. Insuper duodecim pauperes ei in Cœna Domini concessimus, et in anniversarium ejus, sicut imperatricis Agnetis agi censuimus.

STATUTA EJUSDEM.

Recipit Lambertum abbatem S. Bertini veluti proprium Cluniaci monachum.

Hugo, divina gratia Cluniacensis cœnobii abbas, cunctis fratribus ac filiis nostris, tam præsentibus

quam futuris, post sanctæ conversationis insignia, beatæ vitæ gaudia.

' Noverit charitas vestra, dilectissimi filii, quod dominus Lambertus abbas S. Bertini veniens ante præsentiam humilitatis nostræ, inter alia magnæ suæ devotionis munera, quod etiam commissam sibi abbatiam non dubitavit relinquere, nobisque ad ordinandam offerre, noster quoque monachus ac professus existere. Cum ad ea quæ devote postulabat nostræ voluntatis assensum nullo pacto cerneret inclinari, rogatus a nobis propriam compulsus est

A repetere abbatiam, ea scilicet intentione ut in nostra obedientia, quandiu vixerit, devote permaneat, et ut monachus noster ac professus ab omni congregatione ametur et excolatur. Cum vero expleto hujus vitæ curriculo debitum cunctis mortalibus exsolverit finem, tricenarius in hoc loco pro illo celebretur, ejusque anniversaria dies annuatim celebriter agatur.

SANCTI HUGONIS

EXHORTATIO

Ad sanctimoniales apud Marciniacum Deo servientes.

(*Bibliotheca Cluniac.*, p. 491.)

Dulcissimis filiabus sororibusque amantissimis sæculi pompa exutis, et Marciniaci ad honorem et laudem sanctæ et individue Trinitatis sub patrocinio B. Mariæ semper Virginis, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli congregatis, frater Hugo abbas Cluniacensis, salutem, gratiam et benedictionem et nunc et in perpetuum.

Non lateat, o filiæ, præcordialem charitatem vestram, quia ex quo illum locum divina præeunte et cooperante clementia fundavimus, evidentissime Dei omnipotentis propitiationem piisque respectum ibi adesse sensimus et experti sumus, qui sua gratia locum ipsum et spiritualibus promovit incrementis, et temporalibus beneficiis aliquantisper ampliavit. Cum enim primitus Deo, sicut credimus, ordinante, paucas inibi posuissemus sorores, et illæ charitatis ac religionis fervore vitiorumque mortificatione pollere cœpissent, benignus animarum Creator et amator alias paulatim atque alias undecunque ibi aggregare, unumque ovile speciosum et quasi quoddam candidarum columbarum agmen instaurare dignatus est. Quarum nonnullas jam de tentationibus hujus sæculi glorioso sine eduxit, et ad beatæ remunerationis gaudia feliciter, ut speramus, evexit. Nonnullas vero, vos scilicet, quæ nunc superestis, adhuc miseratus expectat, donec suæ complaceat dignationi, ut ab hujus exsilio miserabili ærumna prepitius vos eripiat, et ad illarum felix perducatur consortium. Ad vos igitur, o filiæ, hic specialiter noster sermo dirigitur, per quem vestram paterno affectu unanimiter convenimus, obsecrantes in Domino, et propter Dominum, ut illuc suspiretis, illuc totam animi intentionem transferatis, quicquid in sæculo cernitur, tanquam nihilum et inane, et quasi nêbulam pertranseuntem reputate. Et quia neque diem neque horam, qua ad vestram vocationem Dominus veniat, nostis, nolite

B esse securæ, sed die noctuque suspectæ, et de animarum vestrarum salute sollicite præparate thalamos cordium vestrorum ad amplexus sponsi vestri, illius scilicet magni regis, cui fidem promisistis, procurantes attentius ne quid in vobis reperiat quod suæ displiceat majestati. Cogitate itaque quid fecistis, recogitate quid vovistis; et, si aliquam vestrum propria remordet conscientia in aliquo excessisse, cogitando videlicet, loquendo, operando, seu fortassis indebite dando aut accipiendo, vel aliud professioni vestræ contrarium agendo, redeat ad cor, recurrat ad fontem, suoque priori vice nostra rem humiliter manifestet, et veraciter confiteatur, sicque, quantum humana permittit fragilitas, cum Dei adiutorio de cætero ab hujusmodi caveat. Quidquid ergo boni, quicquid charitatis, humilitatis, patientiæ, obedientiæ, sanctæ compunctionis, et confessionis veræ, vel etiam corporalis exercitii, seu ante Dei solius oculos, sive ad nos invicem egeritis, totum vobis ex parte Dei injungimus in remissionem peccatorum vestrorum. Et nunc quia vestra sancta poscit devotio ut, quoniam et ætatis gravitate, et infirmitatis imbecillitate impediende corporalem præsentiam nostram jam vos visuras non speratis, tradamus vobis aliquod memoriale, in quo et vestram consolationem, et nostræ memoriæ habeatis repræsentationem, vestrum approbantes desiderium, per præsentem epistolam quod optatis implemus, volentes ut penes vos reservetur, vobisque in quinque præcipuis festivitatibus in capitulo recitetur. Supplex ergo et corde prostratus Dominum omnipotentem, Patrem et Filium et Spiritum S. invoco, ut meritis et precibus beatæ Mariæ semper Virginis, et SS. apostolorum Petri et Pauli, et S. Benedicti, omniumque SS. vos benedicat, et ab omnibus peccatis quæcunque in anima et corpore commisistis absolvat. in sancta confirmet proposito,